



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 9. Utrùm inhærens justitia per modum causæ formalis constituat hominem amicum Dei, filium ejus adoptivum, & hæredem vitæ æternæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

ARTICULUS VIII.

Per quam sui partem inherens iustitia excludat peccatum mortale.

RESPONSIO.

Inherens iustitia expellit peccatum mortale per supernaturalem habitum charitatis.

Prob. Nam 1. Scriptura charitatem habitualement praeter ceteris virtutibus theologicis commendat, ut patet ex 1. Cor. c. 13. ubi dicitur: *Nunc autem manent fides, spes, charitas: maior autem horum est charitas.* 2. Tridentinum sess. 6. c. 7. primas in justificatione partes charitatis habituali attribuit, ubi ait: *Quamquam nemo possit esse iustus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione sit, dum ejus sanctissima Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, atque ipsis inheret.* Et eadem sess. can. 11. ubi sic pronuntiat: *Si quis dixerit homines justificari... exclusa gratia & charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inheret... anathema sit.* Ergo si cui virtutum theologicarum vis expellendi peccatum convenit, convenit maxime charitati habituali.

Confirm. Nam charitas habitualis expellitur per quodlibet peccatum mortale; cum fides habitualis per solum peccatum infidelitatis, & spes habitualis per solum peccatum desperationis in homine fideli expellantur. Ergo charitas habitualis specialem aliquam habet cum peccato mortali repugnantiam, quam non habent fides & spes habitualis. Ergo si iustitia inherens, quae est aggregatum ex fidei, spei & charitatis habitibus, habituale peccatum expellit ab eo subiecto, cui infunditur, hoc maxime per charitatis habitum praestare dicenda est.

Ratio a priori est, quia 1. charitas habitualis est excellentissima naturae divinae participatio, quae haberi potest in hac mortali vita. Ergo habere potest & habet praeter ceteris donis supernaturalibus vim alliciendi Deum ad specialem amorem subiecti, cui inest, & cui tantam confert pulchritudinem, adeoque vim alliciendi Deum ad condonanda peccata.

2. Charitas habitualis est virtutum omnium praestantissima. Ergo est omnium praestantissima cum Deo similitudo. Ergo specialissimam quandam subiecto suo confert amabilitatem, quem nec dant, nec dare possunt virtutes aliae, & qua moveri potest Deus ad credendum jure, quod habet ad indigendum propter peccata praeterita.

3. Denique, charitas habitualis est omnis similitudo cum Deo talis ac tanta, ut apta sit ad reddendum hominem proportionatum amicitiae divinae, eaque dignum. Ergo per se exigit destructionem eorum omnium, quae hanc proportionem & dignitatem impedire possunt. Ergo per se exigit destructionem peccati habitualis, quod hanc proportionem & dignitatem impedit.

Confirm. Charitas habitualis, sublati impedimentis, est sufficientissimum fundamentum verae Deum inter & hominem amicitiae. Ergo specialem habet repugnantiam cum eo omni, quocum stare non potest vera Deum inter & hominem amicitia. Atqui cum peccato habituali vera amicitia inter Deum & hominem stare non potest. Ergo charitas habitualis specialem habet repugnantiam cum peccato habituali.

His omnibus addimus auctoritatem S. Augustini sic loquentis lib. 15. de Trin. c. 18. *Nullum est isto Deo donum (charitate) excellentius. Salum est, quod dividit inter filios regni aeterni & filios perditionis aeternae. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt.* At si sola charitas dividit inter filios regni & filios perditionis; sola nata est animae puritatem conferre. Et si cetera dona sine charitate prodesse non possunt, quomodo peccatum habituale expellere possunt sine charitate? Nec dic S. Doctorem loqui de charitate actuali, non de habituali: nam hoc dato, adhuc pro nobis militat auctoritas

S. Doctores, Quod enim dicere supponetur S. Doctor de charitate actuali relatè ad alias virtutes actuales, à fortiori valebit pro charitate habituali relatè ad alias virtutes habituales. Cum charitas habitualis aliis virtutibus habitualibus tantum praestet ad minimum, quantum praestat charitas actualis aliis virtutibus actualibus.

Obj. Ut apertè colligitur ex Trid. sess. 6. c. 7. fides & spes cum charitate praestant vitam aeternam, perfectè uniunt hominem cum Christo, eumque vivum illius membrum efficiunt; Ergo iustitia inherens secundum omnes suas partes, & non secundum solam charitatem habitualement, peccatum expellit. *R.* fidem & spem non praestare vitam aeternam, & nisi prout informantur à charitate, & ita non expellere peccatum habituale, nisi prout informantur à charitate, quod est peccatum habituale expelli per charitatem. Porro inherentem iustitiam per se totam, seu per omnes suas partes una & eadem indivisibiliter causalitate expellere peccatum, dici nihil vetat; sic tamen ut ad hunc effectum sufficeret charitas sine fide & spe, non vicissim sufficerent fides & spes sine charitate. Nec plus hic intendimus.

ARTICULUS IX.

Utrum inherens iustitia per modum causae formalis constituat hominem amicum Dei, filium ejus adoptivum, & heredem vitae aeternae.

RESPONSIO I.

Habitus fidei, spei & charitatis, ex quibus inherens iustitia constituitur, per se & ex intrinseca perfectione, supposita remissione peccatorum, reddunt hominem proportionatum amicitiae divinae, & adoptione divina dignum.

Prob. Nam habitus fidei, spei & charitatis animam ad esse quoddam divinum evchunt, ei formam quandam ac pulchritudinem divini ordinis tribuunt, eam ad operandum immediatè circa Deum modo divino, intrinsecè ac permanentè disponunt, eam denique simillimam Deo reddunt ea similitudine, quae morum & virtutum est, quaeque proinde verae amicitiae fundamentum esse potest. Adde quod charitas habitualis sit facultas amandi Deum super omnia propter se modo proportionato visioni intuitiva, qua Deus clarè videtur ut in se est: unde operationem perfectissimam, ad quamabilem reddit potentiam cui inest, exercere non potest sine intuitiva Dei visione, quae proinde ei connaturalis est, & quam nata exigere, adeoque actu exigit, nisi per habituale peccatum impediatur, ne exigit. Ergo supposita remissione peccatorum, habitus fidei, spei & charitatis, &c.

RESPONSIO II.

Ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & heredis vitae aeternae, praeter habitus fidei, spei & charitatis, atque peccatorum remissionem, requiritur novus Dei favor, novumque beneficium.

Prob. Nam ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & heredis vitae aeternae, non sufficit ut homo sit proportionatus amicitiae divinae, dignusque qui adoptetur à Deo in filium, & instituitur vitae aeternae haeres; sed praeterea requiritur, ut re ipsa ametur à Deo amore illo, qui amor amicitiae dicitur, ab eo in filium adoptetur, & vitae aeternae haeres instituatur. Atqui quod homo etiam proportionatus amicitiae divinae, à Deo diligatur amore amicitiae, & dignus adoptione divina & hereditate aeternae, à Deo adoptetur, atque ad beatitudinem secundum praesentem iustitiam destinetur, novus favor est, novumque beneficium, propter merita Christi collatum: Deus enim hominem, quamvis amicitiae suae proportionatum, adhuc liberè amat amore amicitiae; item quamvis adoptione sua & aeterna hereditate dignum, adhuc liberè adoptat in filium, & ad coelestem beatitudinem destinat. Ergo, &c.

RES-

RESPONSIO III.

Status inter & perfectus amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ, ad quem homo in justificatione evehitur, est effectus formalis, non primarius, sed secundarius inherens justitiæ.

Et 1. quidem quod status ille sit effectus formalis inherens justitiæ, probatur sic. Quidquid intrinsecè pertinet ad justificationem, est effectus formalis inherens justitiæ: inherens enim justitiæ, cum sit vera & perfecta justitia, est causa formalis totius nostræ justificationis. Atqui status integer & perfectus amici Dei, &c. est aliquid intrinsecè pertinens ad justificationem, ut patet ex Trid. sess. 6. c. 4. ubi dicitur justificationem, quæ sit in baptismo, esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum. Et cap. 7. ubi dicitur: Justificatio... non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitæ æternæ. Hujus justificationis causa sunt, finalis quidem, &c. Ergo, &c.

2. Verò, quod status ille sit effectus formalis secundarius inherens justitiæ, sequitur ex 1. & 2. Resp. & sic ostenditur. Nam, ut jam dictum est, illud dicitur effectus formalis secundarius formæ, quod à forma exigitur, & re ipsa ad exigentiam formæ ponitur. Atqui inherens justitiæ, supposita peccatorum remissione, exigit, ut homo evehatur ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ, ut facile intelligitur ex dictis Resp. 1. Et re ipsa, secundum hanc exigentiam, homo à Deo evehitur ad statum illum: Deus enim, condonatis peccatis, hominem re ipsa diligit ut amicum, adoptat in filium, & vitæ æternæ hæredem constituit propter illud esse divinum, illam divini ordinis pulchritudinem, divinamque morum ac virtutum similitudinem, quam ab habitibus theologicis accipit. Ergo, &c.

Ex dictis hæcenus patet inherentem justitiæ habere multos effectus formales, quorum alii necessarii sunt, alii verò contingentes, quos hic breviter recensco ex ordine. 1. Itaque inherens justitiæ per se ipsam formaliter immediatè ac necessariò dat animæ esse divinum, pulchritudinem divini ordinis, intrinsecam ac permanentem habilitatem operandi circa Deum immediatè modo divino, divinam morum ac virtutum cum Deo similitudinem, & exigentiam puritatis ab omni labe mortali. Horum omnium effectuum collatio non est beneficium distinctum ab infusione inherens justitiæ.

2. Ab omni labe mortali mundat animam, mediante novo favore, actu scilicet, quo Deus ad ejus exigentiam homini liberaliter condonat peccata, qua condonatione facta, homo dicitur & est justus.

3. Supposita peccatorum condonatione, per se ipsam formaliter immediatè facit hominem proportionatum amicitiae Dei, & ejus adoptione dignum, exigitque ut homo evehatur ad statum integrum & perfectum amici Dei, filii ejus adoptivi, & hæredis vitæ æternæ.

4. Denique, hominem ad statum illum evehit per modum causæ formalis, mediante tamen novo beneficio, actu scilicet, quo Deus ad ejus exigentiam hominem liberaliter diligit ut amicum, adoptat in filium, & hæredem vitæ æternæ instituit.

Dices, Deus amat necessariò justitiam habitualement, & justum habitualiter. Ergo amor ille, qui ex parte Dei requiritur ad statum integrum & perfectum amici, &c. non est novus favor. R. justitiam habitualement, & justum habitualiter, necessariò amari à Deo eo amore, quo amat omnia, quæ bona sunt, & quo in illis sibi complacet secundum gradum bonitatis, quem habent. At homo, etiam justus habitualiter, non amatur necessariò à Deo eo amore speciali, quo sibi in aliquo velut amico complacet, & multò minus à Deo in filium necessariò adoptatur, aut vitæ æternæ hæres necessariò instituitur.

ARTICULUS X.

Utrum in justificatione, præter habitus virtutum theologicarum, infundantur etiam habitus virtutum moralium in entitate supernaturalis.

RESPONSIO.

IN justificatione, præter virtutes theologicas, infunduntur etiam virtutes morales in entitate supernaturalis.

Ita sentit S. Thomas 1. 2. q. 63. a. 3. in O. & hanc sententiam ut probabiliorē amplectimur. Nam 1. virtutes morales, in entitate supernaturalis, tam videntur esse possibiles, quàm virtutes theologicæ. 2. Non minus convenit virtutes illas infundi in justificatione, quam virtutes theologicas: non enim minus convenit, hominem intrinsecè & permanenter habilem esse ad exercendos actus supernaturales omnium virtutum moralium, quàm ad exercendos actus supernaturales virtutum theologicarum. Ergo, &c.

Obj. 1. Habitus virtutum moralium naturales & acquisiti sufficiunt homini ad hoc ut dignè & proportionatè veretur circa virtutum illarum objecta. Ergo superflui sunt habitus virtutum moralium in entitate supernaturalis. R. dist. ant. Habitus naturales & acquisiti virtutum moralium sufficiunt homini ad hoc ut dignè & proportionatè veretur circa virtutum illarum objecta, prout decent naturam rationalem præcisè quæ talem, C. ant. Prout decent naturam rationalem ad statum supernaturalem & divinum elevatam, & honesta ex imperio charitatis, seu ex intensione placendi Deo ut authori gratiæ & gloriæ prosequentem N. ant. & conf. Homo itaque cum habitu naturali & acquisito v. g. temperantiæ, potest proportionatè velle uti moderatè voluptatibus, prout hoc decet hominem ratione præditum: at non potest proportionatè velle uti moderatè voluptatibus, prout hoc decet hominem non modò ratione præditum, sed etiam elevatum ad statum supernaturalem, adedque ad diligendum Deum ut autorem gratiæ & gloriæ, atque ad honestè in materia virtutum omnium moralium operandum ex imperio charitatis, seu amoris illius, quo Deus ut author gratiæ & gloriæ, super omnia diligitur: ad hoc enim requiritur excellens quidam in virtutis moralis honestatem tendendi modus, qui vires naturæ superat.

Obj. 2. Si virtutes morales supernaturales infunderentur in justificatione, homo justificatus statim haberet facilitatem operandi in materia virtutum moralium omnium. Atqui hoc repugnat experientiæ. Ergo, &c. R. neg. seq. maj. Nam virtutes morales supernaturales dant quidem posse agere: at non dant simpliciter faciliè agere: vel, si vis, dant quidem facilitatem intrinsecam, dando habilitatem & inclinationem ad actus supernaturales: at non dant facilitatem, extrinsecam, removendo impedimenta: nam cum illis manere possunt habitus vitiosi, ad oppositos actus inclinant, & re ipsa manent, donec per actus inclinantes, & re ipsa manent, donec per actus bonos, multoties repetitis, destruantur. Sic autem destructis habitibus vitiosis, quæ prius erat, tollitur bene operandi difficultas, & generatis bonis habitibus naturalibus, nova bene operandi facilitas comparatur. Quare homo justificatus, qui prius habitus vitiosos contraxerat, non statim, sed solum potest iteratos multoties virtutum actus, in illis exercendis facilitatem experire.

Quæres. Quid sentiendum sit de donis Spiritus sancti. R. Dona Spiritus sancti, quæ septem communiter numerantur, & quorum tria ad voluntatem, nempe pietas, fortitudo, & timor, reliqua verò ad intellectum, nempe intelligentia, sapientia, scientia, & consilium, pertinent, docet S. Th. 1. 2. q. 68. a. 1. esse realiter distincta à virtutibus supernaturalibus tum theologicis, tum moralibus. A. 3. esse habitus, quibus homo perficitur ad promptè obediendum Spiritui sancto. Ar. 5. ita esse connexa cum charitate habituali, ut de lege ordinaria, nec charitas sine illis, nec illa sine charitate esse possint. Ex quibus apparet, juxta mentem S. Do-